



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 1. De Christi Resurrectione, & Apparitione primâ. Mysteriorum punctum unicum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

# HEBDOMADA QUARTA.

*In hac Hebdomade singula puncta Myste-  
rii reducemus ad Meditationem, cum  
quinque punctis, juxta præscriptum  
modum à S. P. Nostro: Exceptis non-  
nullis, quæ formabuntur in Medita-  
tiones cum tribus punctis.*

## MEDITATIO I.

*Apparitio prima. Myst. punct. unic.*



*CONGRUA. Ut dum vigilo, repente  
mihi ponam ob oculos statutam Con-  
templationem, & de gaudio Domini,  
cum suis, studeam & ipse exhilaresce-  
re.*

PRÆL. I. Quomodo Christus redivivus ap-  
paruerit B. Virgini Matri suæ.

PRÆL. II. Speculari domicilium B. Virgi-  
nis.

PRÆL. III. Petere, ut participes fiamus im-  
mense gaudii, quod habuit Christus, & Mater  
ejus.



**P**UNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Videre B. Virginem, solitariam in domo suâ, Christum quoque, qui deinde ipsi adfuit.

INTEL. B. Virgo erat afflicta: plena tamen fide, & spe resurrectionis. In Christo verò consideremus quatuor dotes corporis gloriosi, Claritatem, Impassibilitatem, Agilitatem, Subtilitatem. REFL. Discamus in tribulatione, fortes esse fide & spe, exemplo B. Virginis. In Christo verò, id quod Contempl. *Regni Christi* perpendimus; quò major fuit labor, eò majus futurum gaudium.

VOL. Nos quoque cum B. Virgine eliciamus fidem & spem: & Christo glorioso gratulemur.

**P**UNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus voces Angelorum, & Sanctorum cum Christo ingredientium conclave B. Virginis.

INTEL. e Christo canebant: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem, & Sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Apoc. 5. Ad B. Virginem verò, *Regina Cæli letare, Alleluja.* &c. REFL. Cogitemus, quòd in mundo nil canitur *sua-vius, auditur nil jucundius*, quàm illud canticum ad Jesum & Mariam.

VOL. Conjungamus voces nostras cum illis, & Christo ac B. Virgini congaudeamus.

**P**UNCTUM III. OPERA. MEM. Quod Christus redivivus, comitatus Patribus è limbo eductis, Angelis, &c. primùm visitaverit Matrem suam.



INTEL. Nec mirum; nam illa præ cœteris particeps fuerat laborum ac molestiarum filii. REFL. Si nos pariter cum Rege nostro in labore fuerimus, etiam victoriæ pariter erimus participes.

VOL. Confirmemus nos in iis, quæ propofuimus in Contemp. *Regni Christi*, & fidem ac spem, excitemus.

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Christus neque sepulchro, neque ullo obstaculo impeditus ad Matrem gloriosus ingreditur.

INTEL. En ut Divinitas non amplius se abscondat, sicut in passione; sed variis modis & miraculis se ostendat. REFL. Talia miracula Divinitas erga commilitones Christi exerit post mortem nostram.

VOL. Hæc spes futuræ gloriæ à nobis excitetur in omni tribulatione.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. Quomodo ad Christi apparitionem deterfa fuerit omnis tristitia in B. Virgine.

INTEL. Non tantùm post mortem; sed etiam in hac vitâ Dominus solatur suos plus quàm amicissimus quisque facere posset. REFL. Verè non est sanæ mentis, qui hæc sciens non avidissimè se Christi servitio addicit.

VOL. Eliciamus actus fidei & spei, & dicamus: *Non sum turbatus, te Pastorem sequens.* Jerem. 17.

COLLOQ. Ad Christum gloriosum, petendo tres virtutes Theologicas, & gaudium cum ipso, & Beata Virgine in Spiritu Sancto. RECOL.